



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

30. De patientia & longaminitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)



## CONSIDERATIO XXX.

De Patientia & Longanimitate  
Dei.

**P**atens dicitur & longanimis  
Græcè, μακρόθυμος; quia et si  
ipse sit infinitæ Maiestatis,  
& infinitæ potentæ, & om-  
nia gerantur in præsentia & con-  
spectu ipsius; tamen omnia tolerat,  
& sæpè longo tempore vindictam  
cohibet, ne in sempiternum interi-  
tum ruamus. Imò sustinet infinitam  
ingritudinē, & infinitas iniurias,  
quas mortales ei pro infinitis bene-  
ficijs rependunt; nempe idolola-  
triam, blasphemiam, contumeliam,  
iram, odium, perfidiam, periu-  
ria, sacrilegia, conspirationes cum  
hostibus ipsius, contemptum  
Religionis, contemptum diuino-  
rum præceptorum, contemptum  
passionis Christi, contemptum om-  
nium beneficiorum, & bonorum  
cælestium, quæ ipse nobis pro-



misit. Hæc omnia assiduè oculis eius obuersantur, & patièter suffert.

Porro eo maior est iniuria, quò maior est maiestas & potentia, & præsentia eius in quem cõmittitur, & quo beneficia eius sunt maiora. Itaque cùm maiestas Dei, eiusque potentia sit infinita, & beneficia infinitæ æstimationis, & omnia in infinita luce præsentia eius gerantur, perspicuum est, istas quoque iniurias infinitam quandam iniuriæ malitiam continere: & patientiam Dei quâ ista tolerat, infinitam esse.

2. *Patiens* dicitur, quia non solum bis, ter, quater, quinquies, decies, hæc omnia tolerat, vindictam cohibens (quod nullus Princeps terrenus & mortalis faceret) sed centies, millies, decies millies, centies millies: quod omnia superat exempla, & omnem rationem humanam & Angelicam.

liij Neque



Neque solum ipse manum vindicem, cohibet suam; sed & vim Angelicam, & Diabolicam paratam abripere peccatores, & demergere in profundum inferni, benignè coërcet: vt constat ex parabola Matthæi 13. vbi seruis volentibus colligere zizania vetuit, ne fortè simul eradicaretur & triticum; & voluit vt vtraque finerentur crescere, vsque ad messem, id est, vsque ad diem iudicij.

3. Non solum hæc omnia tolerat, & vindictam cohibet, sed etiã beneficia sua effusissimè cõtinuat, *solem suum oriri faciens, super bonos, & malos, & pluens super iustos, & iniustos.* Præterea, iuratissimis hostibus suis tribuit diuitias, honores, voluptates, in summa affluentia: imò & imperia, regna, gloriam huius mundi; sanitatem, pulchritudinem, longævitatem, & quidquid homines in hoc mundo solent magni facere.  
Notandum



Notandum est, Patientiam esse duplicem: alia enim cernitur, & consistit in tolerandis doloribus, ærumnis, afflictionibus & incommodis huius vitæ; qualis fuit in Martyribus, & plerisque alijs sanctis: alia in contumelijs, iniurijs, contemptu. Hæc sola in Deo locum habet; estque in eo infinita, & nobis summè imitanda, si filij eius esse volumus. Vtraque fuit in Christo eminentissima: quem proinde in vtrâque debemus imitari.

CONSIDERATIO XXXI.

*De Clementia Dei.*

**C**lemens dicitur quia benignissimus erga peccatores.  
 I. Quia tanquam mitissimus Iudex facilis est ad mitigandas poenas peccatis debitas. Nam etiam in altero seculo punit infra meritum, cum iustè acriora